



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Dictamina Generalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

censi, quidquid in exterioribus abjectum magis aut afflictivum est, quantum de se, avidissimè inquirunt; intus verò charitate pleni, proprii expertes arbitrii, à desiderio sensibilis voluptatis prorsus alieni, in omnibus imitari student unum suum Magistrum ac Redemptorem Jesum. Videat nunc, qui Dei servitio se adscriptum cupit, quâ classe accipiendus sit, & quantum adhuc à meta remotus; nè, jam tertio coelo se illatum putet, adhuc se reperiatur in ipso aditu, vixque primum gradum in sacro itinere posuisse.



## Dictamina Generalia.

### DECAS I.

**N**on rectè mortem definieris dicendo: æqualem esse diviti ac egeno, Cræso ac Iro. Vita idem facit: tam Regibus infesta est, quàm mendicis, tam favens utrisque. In omnes dispensat gaudia & dolores, nisi quòd in Regibus occurrat materia major. Ast gibbus elatior non implet animum, onerat solùm. Majestas quoq; objecti non subingreditur sensum;

Ia

neque

neque major est acies prospicientis in iuga montium, quàm in granum arenæ.

2. Avarus animam suam venalem habet; prodigit eam quovis lucro. Assentatori mendacia sub hasta sunt, indè comparat favores. Qui honoribus inhiat, nundinatur pericula; qui omnibus se ingerit, contemptum! infelix meliore cæteris sorte cautelam. Contrarium prosperitas habet: dolos mercatur pretio excessivo.

3. Si oculos animúmque in se reflectere, Aristoteles nominavit fatuitatem, certè in alios defigere aut error est, aut errandi periculum. Pronissimum quippe est iudicare unum altero meliorem, hujus conditionem præstare alterius; id est ansam dare, unde vel torquearis ipse, vel alios laceffas. O cœcã hominum malitiam! plùs student aliena rapere cum molestia, quàm frui propriis cum quiete.

4. Utì cespitant pedes, ità lubricant cogitationes: adverte, unde firmentur. Solidiùs non fixeris, nisi complendo quod debes. Nam si ambitio eas impellat? cadent ex alto præcipites: si avaritia? impingent in imo; si voluptas? corruent in plano.

s. Ardea

5. Ardea liberè se gyrat in aëre, nec impingit: anima verò cùm aliò vagatur, vias obit periculosas. Proinde veluti corpus semper intrà tutiora se colligit, ità & illa amat suis limitibus contineri. Territorium animæ est nosse conditionem suam, hoc solùm stadio decurrat. Genus apostasiæ in Religioso est, pedes habere in cella, animum in compitis.

6. Qui nimio labore contendit obtinere, quod appetit, abjecti animi est, aut, quod idem sit, si non non pejus, elati: Est instar damnati ad triremes, ast pendentis è patibulo, vitámq; agit, quasi è filo pendulam.

7. Invidia cor Scorpionibus replet: vanitas caput exinanit, dum ex vertigine corruat. Sensualis vitam habet vitream, piger plumbeum corpus. Epulo gerit characterem bestiae: crudelis, feræ: superbus dæmonis: castus Angeli.

8. Ad dandum consilium opus est animositate: ad recipiendum patientiâ: ad petendum candore, & veritate; ubi passio subintrat, cuncta pessumeunt. Multi petendo consilium pro eo quod agendum

est, quærunt approbari id, quod libitum est.

9. Arduum est svadere, quibus sensus proprius pro oraculo est. Aut enim consilium perditur, aut consultor; præsertim, si cui svadetur, autoritate polleat. At verò non desunt occasiones, in quibus vel gloria fit, vel debitum periclitari.

10. Non illi consilium proficit, cui amplius est ad cognoscendum intellectus, sed cui modica ad remittendum voluntas. Malitiâ voluntatis, non iudicii perverti consilia solent, penè dixerim, everti.

*DECAS II.*

11. Felicitas quædam nasci solet, alia seminari, alia fieri. Nascitur, quæ spontè occurrit: seminatur, quæ resultat ex meritis: fit, quam prætenfio extorquet. Hæc duplici forma exprimitur, dolo & industriâ. In illo formatur ex luto, in ista funditur ex ære, atque hinc magis duratura. Neutra tamen immunis est, quin ab invidia proteri possit, & confringi.

12. A virtute homo redditur bonus, ab operibus magnus, ab occasione celebris. Non parùm felicitatis tempus ipsum subministrat.

13. Nihil sic solet gravare ac vanitas; & licet res sit maximè inanis, pondus tamen habet intolerabile. Ut plausum sustineas in foro, nihil manducabis domi. Quas non expensas vestium pompa? quas non curas frequens famulitium? quas non puncturas causat punctum honoris? Denique vel cor affligi senties, vel caput torqueri.

14. Qui benefacit extraneis absque necessitate, & destituit domesticos immemor obligationis, aut insipiens est, aut crudelis: vel si utrumque conjunxero, vanus.

15. Sufferre hominem mansuetudo est: sufferre fortunam fortitudo: ferre dolorem, tolerantia: ferre seipsum, aliqua virtus: calumniam, plurima; sufferre omnia, ingens remedium. Porrò id planè unicum adversus iliadem præsentium malorum.

16. Præter conscientiaè vermem alius quoque est, qui gravissimè arrodit: habent nimirum & invidi vermem suum. Livori nunquam deest, quod morsicet; verissima animæ teredo, carcinoma mortalium, virus, & basiliscus, qui non occidit, quos respexerit, sed ipsum respicientem.

17. Non tot mare, quot terra periculis  
scatet. Facilius hic ac istic te casus invenit.  
Quem major in Republica dignitas eve-  
xit, majori quoque periculo obnoxium  
tenet. Metuendi sunt ei non casus solùm  
humani, sed & judicia Divina, non cul-  
pæ duntaxat propriæ, sed & errata aliena.

18. Propter peccata populi solet per-  
mittere Deus, ut peccent, qui præfunt po-  
pulo: atque ità seu justè Magistratum  
subeas, seu callidè subintres, delicti ex-  
pers non eris.

19. Angeli sunt ministri misericordiæ  
Divinæ: dæmones justitiæ: homines in-  
strumenta utriusque. Propter Magistra-  
tum bene fit populo, & ptopter eundem  
castigatur. Ambiguum Dei instrumen-  
tum est, qui gubernat: tam aptatur in  
pœnas, quàm in gratias.

20. Providentia Divina est instar hy-  
drophilacii, è quo ceu per aquæ ductus  
derivantur in homines vel præmia vel  
supplicia. Illis eliciendis cor Regis verti-  
bulum est seu clavis primaria, quam tor-  
quendo ora salientium aquarum aperit, &  
torrentes suos in nos diffundit, Sapienter  
proinde

proinde Sapiientissimus: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Prov. 21.

## DECAS III.

21. Fastus efferentis se est hydropisis spiritualis, in eo discrepans à corporali, quòd hydropicus sitiit aquam, elatus aërem: tumor par est utrique.

22. Qui prævertit facienda, non retardat, sed qui involvit: à præcipitantia penè idem periculum est. Nam qui accelerans cursum cespitare cogitur, næ ille non longè processerit: minùs itinerando proficiet, qui subinde ad diversoria redit iis sumendis, quorum oblitus fuerat.

23. Posse bene facere, felicitatis est: actu facere virtutis, & Regii muneris: velle bene facere dotis Divinæ. Ex adverso posse agere malè imbecillitatis est humanæ: actu malè agere, summi periculi: velle malè agere, animi vilis & abjecti: velle aliis malè dæmoniaci.

24. Animantibus fædis, & quæ abominamur magis, natura virus insevvit. Idem habent querulosi: tam facilè venenum eructant, ac dente virulento admordent.



Vilissimum est hoc hominum genus.

25. Quia ambitione abripiuntur Principes, solent adulatione fascinari. Nisi inordinatus eos abriperet honoris appetitus, nunquam crederent adulantium blandimentis. Semetipsum fallit, qui per aliena encomia aucupatur gloriam, non per propria benefacta. Laus est exactio honoris, & hunc propria opera impetrant, non dicta aliena.

26. Grandis machina est Regni gubernatio: ei movendæ nulla trochlea aptior Regis exemplo; cui scilicet non sufficiat eliminare vitia, sed & suspicionem illorum. Olim homines fingeantur Dii esse, ut illorum excusarentur vitia; hodie videas ipsis Regibus vitia affingi.

27. Desciscit ab homine, qui vel fastu supra hominem se attollit, vel infra bruta sensualitate deprimit. Per illum æquatur dæmonibus, per hanc bestiis.

28. Arrogantia est magnes maledictionum: ira radix discordiarum: sensualitas, sementis ægritudinum: avaritia, matrix periculorum: invidia, fons turpitudinum: imprudentia, acervus errorum: debili-

debilitas, mons difficultatum, & vallis ja-  
cturarum. Denique non est vitium, quod  
carò non steterit.

29. Quemadmodum numeri, & divi-  
sionem suam habent, & integritatem; ita  
& vitia. Eâdem quippe ratione, quâ dici-  
mus, tria & tria sunt sex, verum quoque  
erit dicere: vilitas animi, & ambitio fa-  
ciunt superbiam: rancor, & elatio in-  
vidiam.

30. Nulla melior Legum glossa, ac  
Principis exemplum: omnes indè im-  
buuntur, omnes percipiunt, quidquid  
in eo legerint, porrò exempli efficacia  
sumenda non est à persona, quæ illud de-  
derit, sed ab opere, quod patrârit. Im-  
plêsse legem, non posuisse vim habet. In  
Legibus mens est regnantium, in factis vi-  
ta subditorum. Exemplum malum de  
nullo sumendum est, de malis aliquando  
bonum. Neque justî semper agunt, quod  
melius est, neque perversi semper ne-  
gligunt, quod bonum.

*DECAS IV.*

31. Generosos juvat prudentia: auda-  
ces fortuna: arrogantes patientia aliena:

humiles propria : superbos vilitas sua

32. Perversum est erroris conscium vivere, lugendum in eo decessisse. Hoc agit, qui non contentus immerfisse se vanitatibus, dum vixerat, in id quoque curas ponit, ut earundem memoria super sit post mortem.

33. Quis non illacrymetur iis, qui dum mundum effectu deserunt, tenent affectu, relinquentes in eo pignus perpetuum voluntatis suæ vel deceptæ, vel vitiosæ. Vanum emori vanitas est totius vitæ vanissima.

34. Tristissima vanitatis, & deceptionis victima mors illius est, qui sentiens finiri vitam, non advertit finiri stultitiam suam.

35. O! perversissimam mundi fidem! toties illudentem nobis, nunquam tamen non amatam! Ubi ille te negligit, ac penè contemptim habet, tu curâ illius adeò tangeris, ut curam negligas Dei.

36. Nemo, quod in pretio habet, desidiosè curat: solet æstimatio sollicitudinè imperare. Quæ par superbo magnitudo? & tamen depositâ curâ vilescit sibi: nul-  
lius

lius fatagit minùs, quàm sui. Negligit morum probitatem, ut augeat honoris plausum, propriis se damnans votis, cùm inde vilescat, unde quærit æstimari.

37. Aula Regia centrum est mundi; eò se colligit omnis gravitas vitiorum. Illuc invidia iter instruit: eò adulatio progreditur, post se trahens mendacium, fidissimum Achatem. Christus Redemptor noster non nisi funibus attractus Palatium subiit, maluitque silendo mutus videri, quàm loquendo mendacii suspicionem inducere. Levius judicavit notari de facultate, quàm periclitari de fide veritatis.

38. Honor res est prorsus arbitraria: ibi solet investigari, ubi & infamia occurrit. Ut eum prætendas, opus est prudentiâ: ut consequaris, felicitate: ut conserves, patientiâ: ut ambias, dolo & astutiâ.

39. In assentationem Princeps se præmuniat metu, in veritatem patientiâ: ad hac non decet commoveri, ab illa caveat decipi. Præstat errorem doceri, quàm ignorantem seduci.

40. Epidemia Nobilium, & contagio Principum assentatio est. Ei prævertendæ

dæ juverit colere sinceros, apertique pe-  
 ctoris, execrari loquaculos, & exaggerato-  
 res, odisse inflatos, honorisque præcupi-  
 dos. Aliud quoque antidotum in pestem  
 illam valet, si ambitioni obnoxius non sis,  
 amésque modestiam statui congruentem.  
 In vanum recidunt laudes blandientis, si  
 non afficiant animum audientis.

## DECAS V.

41. Loqui malè infirmitatis est: loqui  
 bene, virtutis: loqui vera, ingenuitatis:  
 opportunè loqui prudentiæ, loqui impor-  
 tunè, est stultitiæ: non loqui, ubi loquen-  
 dum pusillanimitatis.

42. Per Periphrasin mentitur, qui polli-  
 cita sæpius pollicetur: iudicium præbet,  
 se nunquam facturum, qui bis dixerit: *ma-  
 nè faciam*. Jucundè quidam: per plateam  
*Deinde* venit ad domum *Nunquam*.

43. Silentium merentis laudari est com-  
 mendatio per substitutos. Omnium ora  
 in sui encomia solvet, qui de seipso nullum  
 dixerit: quemadmodum è contrario o-  
 mnibus ansam præbet murmurandi, qui  
 officium sumit seipsum deprædicandi.

44. Aëre tam corrupto nemo vixerit,  
 quàm

quàm unde alitur assentator. Proinde veluti, cum contagio serpit, amuletum pectori appensum gerimus, ita Princeps adversus pestiferam adulationis luem cordi apprimat amorē ingenuæ veritatis, non fucatae apparentiæ.

45. Falsò imponimus virtuti, quasi res foret hac in vita ultra modum ardua, fama plus difficultatis habet. Illa enim in nostra est potestate, hæc in placito alieno; & licet Virtuti laus debita sit, multis tamen parari vult requisitis. Præfigenda enim est occasio operis, capienda ejus notitia, statuendum tempus, ac demum in eunda conspiratio applausûs. Virtus in silentio operatur, neque alio apparatu indiget, quàm corde bono, & fuci experte.

46. Ens confusissimum superbus est; nemo ejus indolem penetrârit; quin & ipse cæco judicio ignarus est sui. Ægrè dixeris aliòsne magis æstimet, an contemnat. Assvetus livori invidet etiam ei, qui minùs habet. Plus in eo est, ut imitetur vanitatem alienam, quàm ut curet necessitatem propriam.

47. Non immeritò dubitaveris, an, quod vulgò

vulgò opinamur, aſſentator ſemper quærat commodum ſuum: non enim honorat illum, qui utilior eſt Reipublicæ, ſed qui acceptior eſt Regi. Cæterùm adeò perverſus eſt, ut certis utilitatibus omnium unicam incertam anteponat ſuam.

48. Si ex vero loquimur, ipſum adulationis nomen abominabile eſt, ac penè idem, quod publica prodition: potis enim eſt, mentiendo uni, interitum procurare omnibus. Rex unicus Aſſentatoris dolo inductus ruinam adfert Regno univerſo.

49. Prudens prævidet pericula: timidus fingit: juſtus non metuit: honoratus contemnit: fatuus invenit: temerarius quærit: infelix incurrit.

50. Varius pacis uſus eſt: mites illam poſſident: patientes conſervant: pacifici efficiunt: eâ fruuntur boni: malis ſe fingit; ſimulatur à proditoribus. Veram ac germanam ſolus Deus dederit, quæ hîc incolit animam juſti, ac tandem æternùm perfeverat in cœlo.

*DECAS VI.*

51. Magnarum opum hæredes filios ſcribere,

bere, est ansam præbere, vel ut multum dilapident, vel ut seipsos perdant. Qui plus substantiæ congerendæ, quàm virtuti in prolem derivandæ studet sollicitus pater, erit fortè cæteris homo opulentior, at omnibus parens infelicior.

§2. Rarò prosperè evenire solet filiis opulentorum: evanescit, quæ eos contingit substantia, & vix transit ad tertium hæredem. Ardens sollicitudo, quâ indefessi parentes coacervârunt temporalia bona, gradus sunt, per quos filii præcipitantur in gravissima mala. Lucrantur illis bona fortunæ, & obnoxios reddunt moralibus malis: illorum cura, horum neglectus est.

§3. Pluris interest filios nosse, qui opes conquirant, quàm quâ dissipent. Illud virtus docebit, hoc divitiæ. Mores boni hæreditas bona; abundè ditant, quem his dotant parentes. In magnis censibus multa superfluunt: virtus à medio roboratur, & à mediocritate fortuna solidior est.

§4. Plerùmque videris, qui molestè omnia tolerat, ægre quoque ab aliis tolerari: neq; ullum queri frequentius, quàm qui

qui



qui querendi segetem præbet. Superbia inhumana est, non ferre homines.

55. Unus alteri subsidio sit, & alterius onera, uti Apostolus jubet, alter supportet. Inurbanitatis se reum facit, nè dicam, injustitiæ, non sufferendo alios, qui cupit, ut se ferant alii.

56. Ignorans est, qui existimat nihil à se molestiæ derivari in alios; arrogans verò, qui credit se immunem ab onere tolerandi. Patiendo pacificus es, prudens, magnanimus, & beneficus: tantis se cumulat bonis, qui facilis ignoscit.

57. Habent negotia circumstantias suas, habent & consequentias, sed finis prævalet, & ratio agendi: nisi fortè circumstantiæ desinant esse accidentia, & consequentiæ destruant ipsam substantiam. Negotia soliditatem suam sumunt à fine; idcirco figendus est ad centrum seu substantiam oculus, non ad circumferentiam illorum.

58. Motus naturalis per lineam rectam suam fertur ad centrum, non declinando ad latera. Idem agendum est in negotiis. Qui neglecto rerum fine divertit ad circumstan-

cumstantias, anſam præbet deviandi. nauta in punctum Septentrionis advertit, non in conſtellationem, quæ circum illud gyratur.

59. Prò quantis res humanæ inconveniētiis turgent! indè ſolent erumpere, unde minùs exiſtmes erupturas. Attamen velle una omnes falce reſcindere, foret inconveniēns cæteris omnibus longè maximum. Uſu ac tempore firmatas leges aliquorum cauſâ infringere, non eſt aſſecurare rem, ſed immutare; patebitq; futuris annis naſci indè ſi non incommoda eadem, certè paria aut majora.

60. Ubi unus aliquis caſu deliquerit, non exinde ſtatuenda lex univerſis. Neq; enim æquum videtur ob unius culpam caſtigari omnes. Plectatur reus, & pœna ſubitura eſt vicem legis.

*DECAS VII.*

61. Antiquitas ſemper venerationi ſit, ejus majeſtate ſtent, quæ fuerunt. Inſueta adducere eſt ſentinam movere, nunquam non horridam vaporibus ſuis. Qui cupit reformare Rempubicam, caveat nè deformet: periculosa eſt ſæpe mutatio etiam  
in

in melius. Leges novas condere, gravare est: multiplicare, confundere: immutare, in dubium adducere: veteres servare honorificum, & gloriosum.

62. Novitas sui causâ amanda non est, potius execranda; nisi forsân ea sit, quam vel necessitas imperet, vel sacra faciat utilitas publica: indè solummodò honestari potest.

63. Tollere abusus, quos vel hominum incuria, vel temporum injuria invexit, non est quid novum statuere, sed potius, quod antiquatum est, restituere.

66. Non sunt continuò dicenda nova, quæ incognita, sed quæ nec nobis visa, neque Antecessoribus unquam fuere perspecta. Si quid prior ætas obsoletum habuit, depurandum est, & vigori pristino restituendum. Præstat renovari Rempublicam, quàm innovari.

65. Calumniosè locutus fuit, qui Magistratus nuncupavit tutores legum: injustum quippe est legem tractare uti pupillum, id est cum ea ex arbitrio statuere. Non illam Demosthenes filiam dixit, sed Reginam, Magistratus ejus Ministri sunt, servire

ava- fervire Legi debent, non imperare.

mu- 66. Sunt qui opere valent, sunt qui in-  
 rva- tellectu; & hi primo statim intuitu com-  
 est, prehendent, quod alii proluxa indagine  
 uam vix assequuntur. Illud censerī debet do-  
 uam num naturæ, istud virtutis, cujus impul-  
 uam su pertinax labor non rarò superat ingenii  
 uam felicitatem. Prævolat Aquila, sed bos las-  
 uam sus fortiùs figit pedem.

um 67. Quorundam ingeniorum primæ i-  
 exit, mages non auspiciatæ solùm, sed & cer-  
 tiùs, tissimæ sunt: feliciùs operantur impetu,  
 quàm permultas ratiociniorum ambages,  
 ova, quibus scilicet temperatus calor, & per  
 ne- opposita momenta quasi retusus, minor  
 per- fit in concepti operis executionem.

ha- 68. Admodum terrificam visam fuit mors  
 ino Philosopho ea solùm de causa, quòd finis  
 pu- esset omnium temporalium: ego longè  
 dixerim horribiliorem ex eo quòd princi-  
 agi- pium sit æternorum. Mors bivium est æ-  
 ju- ternitatis, unde nos vel orcus accipiat,  
 pil- vel sedes beatorum. Vis non timere rem  
 ere. tam terrificam, mortem inquam malam?  
 sed bene vive.

int, 69. Passio nonnunquam est instar flam-  
 vire mæ

mæ ardentis, aliquando veluti prunæ, subinde quasi candela. Cùm repentina est, subito exardescit, seque diffundit, sed & illicò in fumum abit: excæcat tamen. Lenta se cooperit, & instar prunarum cineribus involvit, ustura eum, qui evolverit. Quæ justa est, & boni causâ accenditur, instar candelæ illuminat, & vigorem præbet veritati.

70. Minor sui cognitio, & vehementior passio transvertunt sensum sapientium: impellunt in errores absque discrimine, coguntque quasi viam tentantes in tenebris oberrare. Tantundem refert, ut bene te noveris, ac generosè viceris: inde pendet operatio bona, & vita jucunda.

DECAS VIII.

71. E duplici fonte superbia scaturit, voluntate, & intellectu: illâ, cùm se quis nimium amat; isto, cùm se quis minus novit: aliquando ortum sumit ab utroque. In primo est excessus se amandi: in altero defectus sui noscendi, atque hic serò emendabilis: in tertio miseria abominanda. Conclamatum est de superbo, qui sui aestimator est, & sui ignarus.

72. Per-

72. Percipe querelas superbi, jurabis esse interlocutionem dramaticam spectatōribus recreandis inventam. Quidquid profert, risū est materia, congeries mendaciorum, & chaos deceptionum; ut minus dicam, catena tot erroribus, quot annulis innexa.

73. Bonitas electionis de prudentia venit eligentis, & cedit in felicitatem electi: nihil tamen indè securitatis est. Mutantur in dignitatibus animi, & ubi fallit eventus, culpa redundat in electum, non eligentem. Denique hīc solum licet tentare: nam ut divinemus futura, quis exigat ab homine mortali?

74. Midæ Regis digiti aurifodina erant, quidquid contingebant, transibat in pretiosissimum metallum, etiam ipsum cœnum. Figmentum hoc fuerit. Veritas est, attactu voluntatis divinæ omnia vilissima transformari in pretiosa, etiam ipsum Jobi sterquilinum.

75. Beneplacitum Divinum forma, & typus est omnis boni; quocunque se immittit, illud consecrat: omni materiæ, cui se imprimit, eximit vilitatem. Si vult,  
ut

ut

ut intereas, pluris est, quàm si mille plausibus eveharis.

76. Ad nocendum semper malorum vis peior est, & damnum majus. Unica acceti gutta ingens vini dolium corrumpit, & modicum veneni pervadit integrum corpus. Majoris adhuc efficaciam est Voluntas Divina: extinguit penitus omne malum, & in eximium bonitatis pretium convertit.

77. Habet hanc bona intentio prerogativam, ut nunquam non operetur bene: dum etiam in iis, ubi error intervenit, non solet à recto aberrare. Poterit videri aliquando errasse etiam in legem Dei, verum quod humano judicio erroneum credimus, oculis sæpe Divinis probatissimum est. In affectum Deus advertere solet, non in effectum.

78. Non bene agenda præfixerit, qui à fine aberrat. Bene collimasse augurium est contingendi. Eligens apta media in finem malum, errat per circuitum.

79. Non negligit se, qui benefacit proximo; quin qui succurrit necessitati alienæ, prospicit propriæ. Beneficium est ca-

ne

ne fidelius; si perdidit herum suum, inquit, repetitque lares, unde abierit.

80. Quemadmodum fatuo solemus concedere, quia fatuus est, & malitiâ caret, ita cum mundo, dum peccatum abest, dissimulandum est. Addicere ei obsequium sincerum, culpam habet & poenam: fictè ei deservire, toleranda prudentia est. Deo serviendum corde toto ac sincero: mundo neque vero, neque ficto. Urbanè eum tractat, qui dissimulanter se habet, & non omnino abjicit, aut pedibus conculcat.

### DECAS IX.

81. Multis rationibus desipit qui non se novit, & querulatur. Passio eloquentem facit, sed absque ratione: præbet verborum copiam, sed & mentis inopiam.

82. Pons, qui te ad solium fortunæ deduxerit, occasio est; ad minus est medietas felicitatis: alterum dimidium diligentia absolvet. Diligentia industria manum porrigit, huic desiderium, magnus hujus fabricæ Architectus.

83. Negotiatorem nunquam solum reperias: semper stipatur vel à dolo, vel ab



dustria, vel à favore, vel à meritis. Dolus solet esse proditorum: labor ambitionum: favor palponum: merita debili-  
 lium,

84. Qui gravi, facilique censura notare consuevit alterum, vates est, sibi idem eventurum ab aliis. Justum enim est legem patiari, quam ipse tuleris.

85. Nihil magis convenit, quam quò obstringimur. Idem est si non agas, quod oporteat, quam si agas, quod dedeeat.

86. Aptè passionem dixeris temulentiam cum libertate: nemo pejùs delirat, quam qui liberè delinquit. Passione incitatur voluntas, à judicio disponitur executio, atque ità duplici malitia peccat, qui peccare constituit: malum enim est malum velle, pejus autem exequi.

87. Parùm differt ab exploratore Magistratus, apud quem Statùs consilia tecta non sunt. Æquivalet proditori, qui publicum bonum privato postposuerit. Pejor est imprudente, qui navem Reipublicæ fallaciis circumagit. Demum qui animum non reflectit ad supremum Numen, nihil melior est Atheistâ.

88. Pon-

88. Pondus mihi gravissimum est, & quod mirêre, levitas ejus hoc facit. Error intellectûs (quis dubitet?) gravior est pondere metalli. Plus ille doloris procreat, quàm gravitas plumbi. Gemino autem errore vanitas mundi conficitur: uno errat in fine, altero in mediis. Finis rerum Deus est; ille statuit voluptatem; in primum. Medium ad voluptatem temperantia est, usûsque moderatus: ille eligit excessum; & jam errat in toto.

89. Nunquid cassus est, imò & ridendus labor, ignem aquæ applicare, ut frigeat. In idem planè satagit mundi vanitas: distorquet res in finem, & hunc confundit cum mediis. Insanit, qui rebus tollit proportionem.

90. Qui eximiam de suis rebus æstimationem gerit, similis est ponderanti carbonem: remanet vas, & fuligo in facie vendentis. Si vaniculus res suas ad libellam expenderit, reperiet nec dimidium ejus esse, quod de se supposuerit.

## DECAS X.

91. Prudentis gravior lapsus est, quàm fatui; si nimirum electis bene mediis ab-

erret in fine. Sic enim error errori additur, cum medium bonum tingi soleat à colore finis mali.

92. Præstiterit errare in medijs ad obtinendum finem malum, quàm ipsum finem assequi: nam si non evaserit ignominiosum, carebit saltèm infortunio. Tentare malum, malitia est, eligere in id media apta, malitiæ superaddit infelicitatem.

93. Nullius tam felix electio est ac mortis bonæ. Tametsi nostrum non sit mortem eligere, laborandum tamen est, ut moriamur bene. Imò quia arbitrii nostri non est, quando, quî morituri simus, idcirco vivendum nobis est, quasi omni momento migraturis. Hac ratione periculi minùs accidet periculosa, & certitudo moriendi minùs odiosa.

94. Vita incerta est, quam vivimus; mors certa, quam præstolamur. Ad quid tantus apparatus in vitam, & tantus neglectus in mortem? Ut scias, quæ moriendi tua sit hora, omnem reputes esse postremam.

94. Vita præsens vicus est amaritudinis

nis. Addictus supplicio, dum è carcere ad theatrum ducitur, non quærit viarum diverticula, sed rectâ tendit ad agonem. Omnes de matris utero velut è carcere profilimus, morti adjudicati; dum vivimus, ad supplicium tendimus: quid declinamus ad effugia? moriendum denique est.

96. Sunt merces, quibus Regum decreto cautum est, è Regno non efferri, aliàs fisco addicendis. Eandem sortem subeunt opes hujus mundi: terræ addictæ nequeunt trajici ad Regnum æternitatis. Solis operibus hæc prærogativa est, ut transeant de terra in cœlum. His te mercibus oneratum velim: nam omnes eò tendimus æternitatem mercaturi.

97. Ut ut modicè vixeris, semper, dum moreris, superest aliquid; at virtus licèt copiosissima fuerit, ejus adhuc in illa hora senties defectum aliquem. Nul- lum cadaver egestate premitur; interest autem animam hinc migrare affatim opulentam.

98. Annos vitæ plures numerare, non tam

tam

tam eſt diu vixiſſe, quàm proximiorẽ eſſe morti. Profeciſſe annis, non virtute, non eſt producere vitam, ſed imminuere.

99. Præſens vita non eſt, ut jucunderis, ſed ut mercatum facias, & lucreris in tempore iſto æternitatem alterius. Qui facit jacturam temporis, facit jacturam æternitatis.

100. Quid è duobus pejus ſit, non fatiſ ſtatuerim: onerari divitiis, quæ ſuperfluant in vita, an obrui negotiis, quæ impediunt in morte? Opes viventi oneri ſunt, negotia viventi, & morienti. Illas dimiſeris facilè: hiſ etſi te abdicaveris in vita, reſtant obligationes in morte, quibus & conturberis ampliùs, & torquearis atrociùs.

F I N I S.

